Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

alium et gravem. et ita quemadmodum et me laudari vellem.
Non autem vellem ita laudari me et amari ut histriones.
quamquam eos ipse laudarem et amarem. sed eligens latere quam ita
notus esse. et vellem haberi odio quam sic amari. Ubi distri
buuntur ista pondera variorum et diversorum amorum in ani
ma una. Quid est quod amo in alio. quod rursus nisi odissem non a me
detestarer et repellerem. cum sit uterque nostrum homo. Non enim
sicut equus bonus amatur ab eo qui nollet hoc esse et si posset.
hoc et de histrione dicendum est qui naturae nostrae socius est.
Ergone amo in homine quod odi esse cum sim homo. Grande
profundum est ipse homo. cuius etiam capillos tu domine numera
tos habes. et non minuuntur in te. et tamen capilli eius magis
numerabiles sunt quam affectus eius et motus cordis eius. At ille
rethor ex eo erat genere. quem sic amabam ut vellem me esse
talem. Et errabam typho et circumferebar omni vento. et
nimis occulte gubernabar abs te. Et unde scio et unde
certus confiteor tibi. quod illum in amore laudantium magis
amaveram quam in rebus ipsis de quibus laudabatur. Quia si non
laudatum vituperarent eum idem ipsi et vituperando atque
spernendo ea ipsa narrarent. non accenderer in eo et
et non excitarer. et certe res aliae non forent nec homo ipse
alius. sed tantummodo alius affectus narrantium. Ecce ubi iacet
anima infirma nondum herens soliditati veritatis.
Sic aurae linguarum flaverint a pectoribus opinantium.
ita fertur et vertitur torquetur ac retorquetur. et obnubilatur
ei lumen et non cernitur veritas. Et ecce est ante nos. et magnum
quiddam mihi erat. si sermo meus et studia mea illi viro in
notescerent. Quae si probaret flagrarem magis. si autem im
probaret sauciaretur cor vanum et inane soliditatis tuae.